

PRÆFATIO.

nibus fundamenta ponere. Quod quia vulgò in Scholis negligitur, discipulisq; discenda objiciuntur, nec intellecta, nec sensibus rectè præsentata, fit, ut docendi & discendi labor molestè procedat, exiguumq; ferat fructum.

En igitur novum Scholis Subsidiū! *Omniū fundamentalium in Mundo rerum & in Vitâ actionum Pictura & Nomenclatura!* Quam ut vestris cum discipulis pertransire libenter ne gravemini, boni Magistri, quid inde boni veniat, expectandum, paucis explicabo.

Libellus est, ut videtis, haut magnæ molis: Mundi tamen totius & totius Linguae Breviariū, plenus Picturis, Nomenclaturis, rerumq; Descriptionibus.

I. *Picturæ*, sunt rerum omnium visibilium (a quas & invisibiles suò modò reducuntur) totius mundi Icones, idq; ipso rerum Ordine, quo in *Januâ LL* descriptæ sunt; atq; plenitudine eâ, ut nihil adeò necessarium & cardinale omittatur.

II. *Nomenclaturæ*, sunt suæ cuiq; *Picturæ* superpositæ Inscriptiones seu Tituli, rem totam generali summo exprimentes Vocabulo.

III. *Descriptiones*, sunt partium *Picturæ* explanationes, propriis suis appellationibus ita expressæ ut cuivis *Picturæ* membro & appellationi ejus eadem addita Cifra, quæ ad se invicem spectent, perpetuo ostendat.

Qui talis Libellus, tali hoc apparatu, serviat spero: Primùm, ad alliciendum huc Ingenia, ne sibi crucem in Scholâ imaginentur, sed delicias. Notum enim est, Pueros (ab ipsâ propemodùm infantia

Pictur